MASTER NEGATIVE NO. 93-81187-3

AUTHOR:

WURM, JAKOB
THEOPHILE

TITLE:

OBSERVATIONES AD PHILOSOPHICUM KANTII...

PLACE:

TUBINAGAE

DATE:

[1799]

Master Negative #

93-81187-3

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Wurm, Jakob Theophile, respondent.
Abel, J. F.
Observationes ad philosophicum Kantii de hermeneutica sacra decretum...praeside...Iacobo Friderico Abel... publice defendet auctor Jacobus Theophilus Wurm... Tubingae, typis Fuesianis, [1799]
30 p. 24 cm.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 3-22-93 INITIALS SA
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT





AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202







Centimeter



Inches







MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

OBSERVATIONES AD PHILOSOPHICUM KANTII DE HERMENEUTICA SACRA DECRETUM

JUVANTE DEO

PRAESIDE

VIRO EXCELLENTISSIMO ATQUE AMPLISSIMO

IACOBO FRIDERICO ABEL

PHILOSOPH. PROF. PUBL. ORDIN.
SCHOLARUMQUE LATINARUM SUPERIORIS WIRTEMBERGIAE
PAEDAGOGARCHA

FAUTORE AC PRAECEPTORE SUO PIE DEVENERANDO

PRO CONSEQUENDIS SUMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBUS

DIE SEPT. MDCCXCIX.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

JACOBUS THEOPHILUS WURM

OBERENSINGENSIS

MAGIST. PHILOPOSH. CANDIDATUS IN DUCALI SEMINARIO THEOLOG.

TUBINGÆ

TYPIS FUESIANIS.

Nos et refellere sine pertinacia, et refelli sine iracundia parati sumus.

CICERO.

Philosophiae forma quaecunque quam vehementer pertineat ad caeteras rerum divinarum humanarumque disciplinas, magis minusve arctiore cum illa vinculo conjunctas, testis est cum superiorum temporum, tum nostri inprimis aevi historia. Longum sit, et ab instituti hujus ratione alienum, vel cunctas illas a notione vi atque natura philosophiae repetitas, quae explicandae rei in facto positae adhiberi plerumque solent, in medium proferre caussas, vel ad ultimam hominum, quibus inerat philosophia quaedam, memoriam recurrendo, et delineatis CONDORCETO duce [1]), mentis humanae progressibus, virorum post fata immortalium, à quibus per diversas saeculorum aetates, novo constituto rerum philosophicarum ordine, novae nascebantur de rebus divinis humanisque cogitandi sentiendi eloquendique formæ, laudibus efferendis diu immorari; liceat mihi illustrissimo, quod nostra nobis aetas exhibet, acquiescere jam documento. Ex quo tempore novae sapientiae lux Regiomontio terris affulsit, perfectamque adeo in se omnibusque absolutam numeris scientiae humanae doctrinam, cujus praeclara quaedam, quanquam illa obscurior, species ab antiquissimis usque temporibus hominum quorumque ingeniosissimorum animis insedisse perhibetur, Philosopho Jenensi acceptam referimus; quantos vidimus ingeniorum motus, quantas in vastissimo doctrinarum ambitu commutationes. quam mirabiles, quos vel sagacissimus rationum mentis humanae scrutator vix conjectura praeceperit, in publica re litterata eventus, cum iis, quæ in rerum civilium orbe gesta sunt, haud injuria aequiparandos! Per eversas penitus aut perturbatas in re civili non magis quam in litteraria rationes, formulasque, quae haud ita pridem sanctissime colebantur, in suspicionem, aut contemtum, aut summum discrimen adductas fini adproperat ultimum saeculi nostri decennium! Neque enim solum officiorum juriumque doctrinae, tales dicam, quae recte ad

1) Esquisse d'un tableau historique dés progres de l'esprit humain. Ouvrage posthume par Condorcet. 1795.

philosophiam referuntur, ita longe ab omnibus, unde illorum et origines et fundamenta cognoscantur, experientiae fontibus amotæ, ita subtiliter severeque ad disciplinarum leges exactae, ut ab uno rationis puræ, ab omni materie sensuum sejunctæ principio ducantur, et hoc inter se vinculo apta et colligata sint omnia; sed historia ipsa rationis arte conclusa [2]), doctrinaeque veteris de DEO, de revelatione divina, rebusque divinitus revelatis sacrarium, quod satis diu bene munitum videbatur ipsius auctoritatis divinae praesidio, ab imis fundamentis labefactatum, vindicata linguis calamisque rationi humanae suprema de caussis ad religionem pertinentibus et cognoscendi et judicandi, ipsumque revelationis divinae argumentum, et sensum monumentorum illius modo suis unius praeceptis consentaneo stabiliendi potestate: Haecce vero et caetera in orbe erudito visa, quae enumerare hic non est necesse, luculentissimum profecto servant illius philosophiae specimen, cui id unice propositum, cujusque ea plane singularis vis atque indoles fuisse videtur, ut vel effrenatam coërceret dubitandi libidinem, vel confirmatas eorum, qui inexplo-

2) Inchoatam á cel. Kantio primumque luci publicae expositam (*in Berliner Monatschrift Nov.* 1784.) historiae communis ita tractandae methodum, ut proficiscendum sit ab occulto naturae consilio perficiendi optimum internum, eoque ipso etiam externum rerum publicarum statum, quo omnis et tota evolvi excolique possit humanitas, exceperunt interdum variisque modis commendarunt et ornarunt complures scholae criticae sectatores; confecisse autem etiam illam videtur familia philosophorum Fichtiana, quorum de historia institutum temperare, mihi non possum, quin hic exscribam: „*Die Geschichte verhält sich so zur practischen Philosophie, wie Phisik zur theoretischen, d. h. der Gang der Begebenheiten in der Mensthen-Welt lauft eben so nach practischen Principien, á priori fort, wie die Naturerscheinungen nach ihren eigenen Gesezen: Es geschieht, was geschehen soll, und man kann sonach aus dem practischen Princip, welches jenes Sollen bestimmt, durch genaue methodische Entwiklung und Zergliederung den Gang der wirklichen Begebenheiten á priori finden, überhaupt alles empirisch gefundene rein deduciren, und sogar die etwanigen Resultate künftiger Erfahrungen nicht etwa aus demjenigen, was schon geschehen ist, sondern aus reinen praktischen Grundsäzen á priori anticipiren*" vid. S. R. D. Schmidii *Physiologie philosophisch bearbeitet, Iena* 1798. *pag.* 32.

ratis rationis humanae viribus certam statuebant rerum cognitionem, opiniones et controversias minueret, certisque tandem cognitione nostra circumscripta limitibus, ratione ipsa confirmaret, quid scire possimus, quid agere oporteat, quid in hac et in futura vita sperare liceat. Praeclare magnificeque destinata si intra fines sibi praestitutos feliciter effecit nova philosophia; quis est, qui infitias ire audeat, hoc ipsum haud ultimum vindicaturum sibi esse locum inter amplissima illa monumenta, quibus sæculum nostrum sui memoriam consecravit? Aut si verus sumi possit tanti operis effectus, quis tandem veterum formularum studio amens tam mirifice suis sibi placeat, ut vel iniquis oculis adspiciat immutatam nova philosophandi forma rei universae litterariae faciem, vel sinistre interpretetur lucem, ingenii philosophici conversione affusam incognitis adhuc regni veritatis regionibus? Cuinam denique, si multorum hac nostra aetate vehementer efferbuisse ingenia animadverterit, mirum hoc videri queat, dummodo universam rerum naturam ita comparatam esse meminerit, ut nisi ex elementorum discordia et tumultu nulla concordia et consensus oriatur? Fortasse vero philosophiae criticae ipsius inconstantia, in evehenda ad singularem potentiam ratione humana eo nonnunquam progressae, ut finium sibi praestitutorum oblita in iis etiam quas empiricas dicunt disciplinis, quae ad repudiandam cum rationalibus societatem suapte vi atque natura feruntur, justo liberiorem sibi vindicaret decernendi auctoritatem; ea inquam fortasse inconstantia contulerit ad retardanda magis quam acceleranda aureae illius aetatis initia, qua venerabiles omnes tum dogmaticorum tum criticorum tum scepticorum philosophorum familias sub uno capite conjunctas, ad unam omnes sententiam, communiaque omnibus principia revocatum iri, magno jam dudum nobis promissum erat hiatu! Fortasse haec ipsa caussa, quare nondum inclinata veterum novarumque rationum victoria, nondum triumphatus à criticismo dogmatismus, nondum diremtae Empirismi cum Rationalismo, Supernaturalismi cum Naturalismo lites; aliisque in verba magistrorum, neque fallere, neque falli nesciorum, jurantibus et jam demum nos lucem é tenebris dispicere jactitantibus, alii, la-

xatis scepticismo frenis novis iisque periculosissimis erroribus pristinam cessisse veritatem acerbe conquerendi materiam inveniant. Tantas vero lites componere, et quonam quantove jure aut injuria in utramque partem disputetur, in universum decernere, neque hujus lôci, neque mearum virium sit; haud tamen scio, an quidquam aliud tam disparem eventum habenti de justo philosophiae criticae in caeteris disciplinis usu disquisitioni occasionem dederit, aut de statuendo novae disciplinae pretio magis distinuerit eruditissimorum hominum sententias, quam placita illius universa de revelatione divina, nominatim vero decretum illud, quo revelationum divinarum monumenta ita interpretari jubemur, ut invitis etiam grammaticae legibus ad sensum religionis, quae rationis unius ope utitur, moralem referantur omnia.

Quo majori ego quoque (si de me ipso pauca adhuc praefari liceat) reverentia et pietate obstrictum me sentio VIRO immortali, cujus Critica rationis purae prima juvenili animo infevit philosophicæ cujusdam meditationis initia, quo firmior altera parte atque exploratior mihi stabat adhuc statque etiamnunc sententia, nonnisi Ernestiano tramite ad fines theologiae transire, eo fortius non poterat non movere me criticae illius methodi novitas dicam an insolentia, ut cum res omnino videretur mihi digna, quae aequa lance pensitetur examineturque diligentissime scribendi opportunitatem nactus meletemata mea qualiacunque publico examini subjicere instituerem. Non deterrebat scriptione academica cogitatio multos fore, qui me in supervacaneum plane laborem venisse coarguant. Quanquam enim alienissimus sim ab ea arrogantia, ut aut novae veritatis, aut modi adeo unius rectissimi, quo rem à compluribus jam pridem ad investigandum sagacitate praeditis, et in hoc maxime genere judicandi exercitatissimis viris 3) in quaestionem vocatam existimare deceat,

3) Recensitis in (*Versuch einer historisch-kritischen Darstellung des bisherigen Einflusses der kantischen Philosophie auf alle Zweige der wissenschaftlichen und practischen Theologie Hannover* 1796. *S.* 128—170 *II. Theil* 1798. 12—75.) iis auctoribus, qui varias attulerunt tam ad stabiliendam quam infringendam interpretationem moralem rationes accessere interdum, quotquot mihi quidem innotuerunt:

1. Anonymus *Ueber die neuerlich empfohlene moralische Auslegung der Bibel* (in S. R. A. Henkii *Neuem Magazin für Religions- Philosophie, Exegese und Kirchen- Geschichte I. Band 3tes Stük.*

2. S. R. D. Stäudlin *in Beyträgen zur Philosophie und Geschichte der Religion und Sittenlehre u. s. w. Lübek.* 1799. *V. Band S.* 336—344.

3. S. R. D. Seiler in libro: *Ueber die göttlichen Offenbarungen. IIter Theil. Erlang.* 1797. S. 374—399.

4. S. R. D. Schmidt *in Bibliothek für Kritik und Exegese des neuen Testaments und älteste Christen-Geschichte I. B. 4. St.*

auctoritatem mihi vindicem: nondum tamen, tam varias in partes veritatis patente via videntur omnia jam ita confecta esse, atque expedita, ut sinceris aliorum veri videndi studiis nullum plane etiamnunc locum superesse opinandum sit.

Erit autem commentariolum hoc ita mihi descriptum, ut post expositam veram Cel. Kantii de interpretandis revelationis monumentis sententiam, praemissosque aliquot de notione revelationis divinae, decretis criticis neutiquam contraria, et conditionibus, quibus ea aut fieri possit, aut facta sit, aphorismos, argumento illius possibili evincere studeam, parum bene provisis atque exploratis principiis inniti interpretationem moralem unam contra veram rationique consentaneam esse eam, quae tota á grammaticis praeceptis repetatur.

---

§. I.

Quod nostro inprimis aevo rectissime praecipi solet, dijudicaturo legitime aliquam sententiam proficiscendum esse, a peculiaribus ipsi auctori enuntiatis, cum omnium fere disciplinarum historia comprobatum teneamus, veram auctoris sententiam turbatam postea fuisse sive temerariis discipulorum erroribus, sive calumniis; id ipsum etiam absque omni controversia valere mihi debebit in examinando philosophi Regiomontani de monumentorum revelationis interpretatione decreto, mihique propositum igitur est, ut ante omnia nulla eorum ratione habita,

quae à variis publicae luci exposita sunt judicibus, variorum tam *pro* morali interpretatione quam *contra* illam argumentandi generum, primariis aliquot locis VIRUM cel. ipsum mentem suam exponentem faciam. 4)

Pars historica quam revelatio, si qua forte acciderit, ad religionem moralem, rationis unius ope utentem, adjunxerit, ut serviat alteri, quae naturalem religionem complectitur, parti in usum multitudinis introducendae, requiritur ad id consilium revelationis forte oblatae interpretatio, qua omnes illius partes ad sensum moralem referantur. — In qua religionis naturalis decretis consentaneum referantur. — In qua interpretandi ratione, quamvis persaepe textui illata vis aut sit, aut esse videatur; necesse tamen omnino est, utcunque modo per textus rationes fieri liceat, moralis haec interpretatio praeferatur litterali, quae ad mores aut, plane non referri, aut voluntatis humanae ad recte agendum momentis obniti posse videatur. Neque jure aut veritatis aliqua cum specie cadere possit in hoc interpretandi genus fuci fallaciarumque crimen, modo ne pro certo affirmetur, quae ea via subjiciatur scriptorum divinorum enuntiatis sententia, eandem illis fuisse ab ipsis auctoribus subjectam, sed in integro hoc relinquatur, et fieri saltim posse contendatur, ut notiones religioni naturali unice consentaneae verbis illorum subjiciantur.

§. II.

Exposita cel. Kantii vera sententia; temperare mihi ante omnia non possum, quin saepenumero jam miratum me fuisse ingenue profitear, quid tandem sit, quod quibusdam in mentem venerit, VIRO peracute moveri solito, rectae, qua scripti alicujus interpretatio finiatur, notionis ignorantiam exprobrare, aut post praeclaram illam, quae depulsis barbariei olim mysticae et allegoricae tenebris, sacrarum litterarum interpretum ingeniis affulserit elegantiae lucem, qua, quid in praestantissimis divinae revelationis monumentis rectum suave et efficax sit, judicare possent,

4) vid. cel. Kantii *Religion innerhalb der Gränzen der blosen Vernunft* Königsb. 1794. S. 157—166. — Ejusdem *Streit der Facultäten.* Königsb. 1798. S. 44—70.

sent, tristiora jam denuo ominari subtiliori doctrinae tempora, quasi vero data opera suffragari voluerit VIR celeb. abolendis philologiae sacrae et criticae studiis, neque disertissimis verbis morali interpreti subjecerit doctrinalem, huicque ipsi via historica, linguarum peritia et antiquitatis notitia eruendi monumentorum revelationis sensus provinciam demandarit, statueritque, quum defunctus fuerit suis partibus interpres grammaticus, hunc demum confugiendum esse ad sensum moralem iis in locis, qui grammatice explicati ad mores aut plane non pertinerent, aut verae honestatis studiis obniti adeo possent. „At vero, si significante Kantio, ita levissimo aestimare liceat momento sensum verborum grammaticum, ut invitis etiam grammaticae legibus ad sensum moralem referri debeant omnia, metuendum omnino est, ne nostra aetate, quae compluribus inde ab annis ad negligenda et labefactanda linguarum antiquiorum studia proclivior esse coepit, multi reperiantur, qui capti magno nomine atque auctoritate VIRI, cujus sapientiam quasi coelo delapsam fidei vitaeque normam amplexi sunt, ad sententiam ipsius tanquam ad saxum adhaerescant, et cum cupidius ea credant, quoniam vera esse volunt, quae laboris molestiam deminuunt, nulli amplius dubitent, vanitatis arguere curam, in veterum linguarum studiis collocandam sensimque hoc modo nisi directa, indirecta saltim via gravissimis aperiatur deliramentis." Quanquam equidem minime diffitear, haud contemnendum esse et hoc et similia alia, quibus impugnarunt multi viri, quos judicare posse arbitror, Hermeneuticam Kantianam, argumenta; non tamen ab omni parte mihi ideo satisfecere, quod ex iis, quæ supra dicta sunt, aliam plane mentem esse cel. Kantii, neque adeo illum detrimenti fortuiti praestare posse culpam satis adpareat: longe vero graviores alias ab ipsa notione, qualem consentaneo decretis philosophiae criticae modo constituere licet, et pendente ab hac notione argumento revelationis divinae ductas deprehendisse mihi videor caussas, quae ad reprobandam recentem monumenta revelationis interpretandi methodum momentum possint facere.

§. III.

Quo notabiliores subiit revelationis divinae notio vicissitudines philosophia critica, cui sollemne inprimis esse constat, ad res novas vetera transferre verba, quo graviora sunt, et de quo deinceps videbimus, ad emendandos tranquillandosque hominum animos efficaciora, quae ex recta distinctaque revelationis notione peti possunt argumenta, eo enixius in eo mihi elaborandum erit, ne vagis notionibus omnis haec superstruatur disquisitio. 5)

Ad consequendum, quem ratio practica postulat, finem bonorum, sive, si liceat forte sententiam philosophi Regiomontani verbis exprimere Romani — ad efficiendum id, ut omne quod honestum est, idem sit aut fiat nobis aliquando utile; 6) requi-

5) Retro me longius abire a principali commentationis consilio, nemo mirabitur, qui secum expendere voluerit, totam fere propositae quaestionis de interpretatione monumentorum revelationis solutionem pendere proxime ab argumento revelationis constituto, hoc autem à circumscripta revelationis notione.

6) Liceat mihi, respectu habito ad b. Garvii *philos. Anmerkungen zu Cicero's Büchern von den Pflichten* P. III. 1792. p. 19. sq. not. x. (quem locum huc ante omnia conferri velim) sententiam hanc meam, quamvis ut stolidam illam repudiatum iri sciam ab omnibus, qui ex recentissima unice didicerunt philosophia sapere) distinctius exponere. Felicitatis studium ut redigatur in consensum cum lege rationis practicae purae, interque agendi modos, cum illum, quem nisus ille animalis, ratione autem plane non improbatus, tum hunc, quem ratio practica pura postulat, concilietur unitas, coacta est ad sumtionem ratio, omne quod honestum sit, idem per omnes existentiae nostrae periodos futurum esse utilissimum (*Daß wir auf dem Wege der Moralität überwiegend angenehme Empfindungen im Ganzen unsers Daseyns zu hoffen haben.* vid. Garve l. cit.) Si enim sumatur, accidere posse, ut conservatio legis moralis incidat in repugnantiam cum studio felicitatis indissolubilem, destinataque, quae ut efficiantur postulat ipsa ratio effici non posse, lex moralis ipsa sane non possit agnosci pro rationali à naturis nimirum ratione et sensu mixtis, neque hae eadem tenerentur. (v. cel. Kantii *Kritik der reinen Vernunft.* S. 840. 841. et S. R. D. Storrii Annotat. ad philosoph. Kantii de Religione doctrinam (Tub. 1793) pag. 26. sqq.) Neque eruit hanc mihi persuasionem animo censor libri Storriani *Götting. Bibliothek der neuesten theolog. Litteratur* B. II. St. 2. pag.

ritur par tanto effectui Caussa, cujus ita nobis informanda cogitatio est, ut sit natura mente intelligentissima, voluntate san-

245 sq. cum distinguendum profecto sit, quod ibidem p. 246. videtur innui, inter normam moralem absolutam, quae mentis abstractione é sola ratione depromitur, et inter illum, quem naturis finitis assequi licet, moralis perfectionis gradum. Necessaria itaque illa ad conservandam à naturis rationalibus finitis legem moralem sumtio, omne quod honestum sit esse, aut factum iri nobis utilissimum, ad DEI, qui auctor sit et gubernator mundi intelligibilis, et fata factis exaequet, fidem deducit. Jam quidem omnino utilitas illa non debet oriri tali modo, qui repugnet honestati, sine qua nulla plane datur vera felicitas. Sin autem multiplici usu edocti sciamus, neque leges naturae, neque liberas actiones aliorum exacte respondere vel justissimis nostris desideriis generosissimoque perpetuos in virtute faciendi progressus studio, quibus satisfieri posset in regno intelligibili, ubi volitiones uniuscujusque nisi materiae, formae tamen saltim legis moralis congruerent; postulare videtur virtus ab auctore et gubernatore mundi moralis sui cum utilitate aequabili conjunctionem. — Admodum vero improbabile est, utilitatem illam terminari hujus jam vitae angustiis, absolvique animi quadam tranquillitate, quam afferat honeste legique morali congrue factorum conscientia, cum sensus jucundi, conscientia illa exorti, vel perpetuo virtutis cum appetitionibus animalibus morali legi contrariis conflictu, vel malis extrinsecus venientibus, vel negata propensionum legi morali non contrariarum expletione vel corporis habitu, vel imperfectionis conscientia, qua maxime laborat religiosissimus quisque virtutis cultor vehementer imminuantur. Igitur in vita demum illa, quae praesentem excipiet, plena honestatis cum utilitate speranda exaequatio est. Iam autem hoc etiam mihi temere videtur assumi, praemia, quibus afficienda sit olim a DEO virtus, absolutum iri majore tantum perfectione morali, et nonnisi castissimis, quae ex una virtute ipsa oriuntur, voluptatum generibus, et plane nulla alia bona in praemiorum illorum societatem esse ventura. Lubentissime quidem concesserim, disparem illam virtutique non satis semper aequabiliter respondentem bonorum sensualium in vita, quam nunc vivimus, descriptionem permagnam habere vim ad efficiendum id, ut firmior subinde stabiliatur rationis in sensum dominatus: longissimeque etiam ab ea opinione absum, qnasi voluptates tales, qualium fructus non cadit nisi in corporis, quod nunc habemus, instrumenta, adscribendae sint in numerum praemiorum virtutis in futura vita perfruendorum, qua quidem assertione vix quidquam norim ipse absurdius. Naturis vero rationalibus finitis, quocunque tandem in statu collocentur, vel quemcunque assequantur perfectionis moralis gradum, hominibusque ipsis

ctissima, vi potentissima, quæ rerum in mundo universitatem generarit, et generatam legibus regat contineatque moralibus, quae naturis finitis ratione praeditis pro dignitate modoque honestatis ipsarum adcuratissimo felicitatem impertiat, quae legem moralem constantissime conservet ipsa, in qua expressa sit denique quae nostris animis insidet, absolutae perfectionis forma. His ipsis notionibus, quae nobilissimis ortum debent naturae nostrae principiis, et qua tales ad excitandos acuendos corroborandosque honesti sensus quam maximam vim habent, necessario quodam modo ad religionem deducimur. 7) Quaestionis autem loco ponere jam liceat: possitne praeter hanc ratione morali ipsa munitam Supremi Numinis cognoscendi viam alia adhuc cogitari, qua non vi mentis humanae spontanea, sed singulari efficientia et procuratione Jehovae cognitiones certae morales et religiosae in certis hominibus excitentur, tali, dicam, efficientia et procuratione, cui hoc ipsum propositum sit consilium, et quae hoc ipsum spectet, ut ad has nominatim cognitiones, hi nominatim homines hoc tempore et loco perveniant,

emendatissimis obfuturum esse in vita ventura, si probitatem eorum etiam aliis, iis inquam, quae diversae sint é voluptatibus ex mera majore perfectione morali oriundis, remuneraturus sit DEUS, nullo plane demonstrabile mihi videtur argumento; haec enim probatio omnibus absolutam numeris desideret omnium, quae dari possint, voluptatum sensu percipiendarum habitusque ipsarum ad quemcunque perfectionis moralis gradum cognitionem, qua gloriari autem et quam assequi nemo queat mortalium. — Tantum ad defensionem sententiae: Ut omne quod honestum est, idem sit aut fiat nobis aliquando utile.

7) cf. Kantii *Religion innerhalb d r Gr. der bl. Vernunft Vorr. p. IX. not. x p. XII.* Quod illustre Kantianum Ethicotheologiae principium separatim afferre placuerit, hoc plane nollem ita existimari, quasi contenderim deesse nobis argumenta etiam contemplativa ad gignendam rationi consentaneam de existentia virtutibusque DEI persuasionem sufficientia. Cosmologicum enim illud maximeque physico theologicum majoris omnino ponderis, quam cel. Kantius iis tribuit, aestimanda esse arbitror, si quidem illa solo subjectivorum nomine judicentur, adjuventurque legis et teleologicae et moralis auxilio, quanquam enim minime diffitear, cessare illa eo modo esse argumenta mere contemplativa, multum tamen adhuc interesse inter illa et argumenta cum moralia tum teleologica adparet.

habeanturque ab his non ob rationes internas, sed ob hanc origiuem adeoque auctoritatem divinam pro veris. Qui si cogitari possit fons alter unde cognitiones DEI, rerumque divinarum proficiscuntur — cogitari autem posse et sumi debere, statim jam probabitur — habemus quam quaerimus, revelationis divinae notionem.

§. IV.

Constare sibi omnino cel. Kantium, fierine aut possit, aut unquam facta sit revelatio eo, quem attuli sensu divina, in integro relinquentem, facile consentio, cum ex ipsius decretis de rebus à communi hominum sensu experientiaque tam externa quam interna disjunctis neque praefracte negando neque confirmando fidenter rationi per se fas sit constituere, nisi practica forte necessitas in alterutram sententiam aut sumtionem decernere jubeat. 8) Suppetere autem argumenta satis gravia, et ad gignendam rationi consentaneam de possibilitate et veritate revelationis divinae (objectiva) persuasionem apta, alii comprobarunt philosophiae criticae antistites, quorum si per summa tantum ire liceat rerum fastigia, huc fere redit sententia: 9)

In evolvendis historiae hominum communis annalibus ubi in ea incidimus tempora, quibus illi aut ignorantia aut erroribus excoecati, aut sensuum imperio ita assueti, ita vitiorum omni genere volutabantur, ut nullam amplius exserere vim posset ad moderandam voluntatem lex moralis, aut sincero quidem illi tenebantur honestatis conservandae desiderio, sed vehementioribus tamen adhuc cupiditatibus praepediebantur, quo minus in quacunque re legi morali obtemperarent; aut ratio ipsorum practica nondum enisa erat, ad tantum culturae perfectionisque gradum, ut rectas DEI, tanquam illius, qui summum bonum efficiat, qui sit legum moralium auctor et san-

8) cf. praeter Kantii *Kritik der reinen Vernunft*, ejusdem *Religion innerhalb der Gränzen der blossen Vernunft Ausg.* II. 198. 232. — *Kritik der practischen Vernunft* p. 73. 77.

9) cf. cel. Fichtii *Versuch einer Kritik aller Offenbarung.* (Königsb. 1793. §. 8. sqq. — S. R. D. Niethammer in libro: *Ueber den Versuch einer Kritik aller Offenbarung.* Jena 1792. p. 47. sqq. — coll. S. R. D. Storrii *Bemerkungen über Kants philosoph. Religions-Lehre.* p. 143. sq.

ctitatis exemplar, notiones, suscitandis alendisque sensibus bonis et liberalibus aptissimas informare possent: aut corruptae, quae omnium fere insidebant animis una, notiones impedimento erant erigendis sensim sensimque ingeniis, amplificandisque intelligentiis: aut notionibus illis deerat adhuc ad movenda recte agendi studia aut claritas, aut firmitas, aut castitas, aut circumscriptio: haec historia teste ubi accidisse invenimus, haud dubie affirmare licet, tantam omnino illis locis et temporibus exstitisse necessitatem, ut Jehova ipse sese annuntiaret, viso singulari (*durch eine ausserordentliche Erscheinung in der Sinnenwelt*) tanquam naturam intelligentissimam, legis moralis auctorem, summique boni effectorem, siquidem haec ratio aut una esse videretur, aut efficacissima vel restituendi vim, quam amiserat lex moralis, ad corrigendos hominum animos, vel avertendi praesentissimum, in quo gens una alterave versabatur, ad ultimam morum depravationem sensim inclinandi periculum, vel accelerandi denique ingenii lucem, judiciique de DEO rebusque divinis et firmitatem et castitatem. Argumentum hoc à practica necessitate revelationis divinae pro persuasione de possibilitate et veritate ipsius ductum, quanquam per se ad commovendum animum plurimum valeat, non tamen apud me tantum valuerit, ut ideo vel fieri posse vel unquam factam esse revelationem, eo quem attuli sensu divinam firmo statim assensu adprobem, si quidem theoreticis rationibus contrarium aut evinci, aut probabile reddi queat.[10] Criticus autem certe philosophus, qui

10) Tantum equidem absum, ut doctrinalem, quam cel. Kantius vocat, fidem contemplativis ortam rationibus abhorrere existimem à philosophi persona (uti vult S. R. Niethammer: l. cit. p. 40. et in *Versuch einer Begründung des vernunftmäßigen Offenbarungs-Glaubens*) ut potius persuasissimum mihi sit, utilissimam esse, si fieri queat, rationum theoreticarum cum practicis conjunctionem. Facillime enim fieri potest, ut ratio, si incoactae ipsi necessitate aliqua practica decernendum sit, ea, quae sunt theoretice probabilia, haud satis ad decernendum idonea declarandi jus habere opinetur. Sed haud raro etiam sufficere non videntur ad gignendam veram persuasionem argumenta practica, nisi theoreticis adjuventur argumentis, vel nisi animus necessitate practica ductus et hac ipsa ad decernendum proclivior factus acquiescere possit theoretice etiam probabilibus argumentis.

dubitat limites rationi ab ipso praestitutos egredi, nunquam animum inducet, in his illisve eventis praeter naturam naturalium seriei insertis singulare numen divinum rebus humanis interesse infitiari, adeoque nec hoc praefracte negare, cognitiones certas morales et religiosas in certis hominibus, certis locis temporibusque excitatas à singulari DEI in animos illorum hominum actione, ab ea, inquam, ratione repeti posse, qua mens infinita ad mentes finitas, Creator ad creatas naturas refertur[11], sed, si modo sibi constet ipse, ab iis rebus quæ communem sensum effugiunt, adeoque vel in plenissima legum naturalium cognitione aut nullos plane aut difficillimos habent explicatus, dissensionem et assensionem pari modestia cohibebit.

§. V.

Id vero, quod practica ratio perquam probabile reddidit, quod theoretica (à priori) quanquam non adprobare, tamen nec improbare simpliciter et rejicere potest, id adprobare sane tum licebit, si confirmatum sit optimorum hominum fideque omni dignissimorum testimoniis, et quidem iis maxime in locis et iis temporibus, quibus necessarias rei probandae conditiones locum habuisse historicis evictum sit argumentis. Ita autem confirmant Messias ipsiusque legati, ea quae dixerint, scripserintque nova sese caeterisque hominibus non patente via didicisse; DEO nimirum singulariter efficiente ipso extra communis humanae cognitionis limites non opinione sua et inani arrogantia, sed re vera fuisse egressos:[12] neque enim ne inanes viderentur impetus

11) cf. S. R. D. Flattii *vermischte Versuche* (Leipz. 1785.) p. 153-188.

12) Quidnam vero aliud sibi volunt Messiana illa: Εξ εμαυτȣ ȣκ ελαλησα αλλ᾽ ὁ πεμψας με ὁ πατηρ εντολην εδωκε τι ειπω και τι λαλησω. ἁ λαλω εγω, καθως ειρηκε μοι ὁ πατηρ, ȣτως λαλω. Joh. XII, 49. 50. coll. VIII, 26, 28. 38. 40. XV, 8. Matth. XI, 27. Joh. III, 13. coll. 11, 12. VII, 16. 18. (Exegeticam horum locorum veritatem momento suo ad probandam doctrinae Messianae divinitatem ponderatam nuperrime exhibuit S. R. Prof. Süskind in *Dissert. inaug. Theolog. qua quonam sensu divinam Jesus perhibuerit doctrinam suam disquiritur.* Tub. 1798. §. IX. X. —) Facile jam quidem praevideo, repertum iri, quibus rei per orbem demonstratae accusandus esse videar, de eo jam demum ipso agi objicientibus, liceatne locos illos, quibus Messiae

divini jactatores, in solis de divina auctoritate sua substitere enuntiatis, sed confirmarunt illam illustrissimis vereque divinis factis, quorum caussam proximam etiamsi concedatur non fuisse positam, nisi in solo virium naturalium effectu, tamen ex ipsa rerum gestarum indole ipsarumque constanti cum enuntiatis Messiae et legatorum illius consensu, ex eo denique, quod graviter illae non poterant non afficere optimorum quorumque et innocentissimorum id aetatis hominum animos, satis evidenter adparet, DEO singulariter efficiente et procurante ipso (*durch Gottes absichtliche Causalität und Veranstaltung*) eventa illa in fidem doctrinae Messianae et apostolicae faciendam collineasse. [13]) Sat firmis igitur et rationibus et auctoritatibus [14]) innititur de ve-

enuntiata de divina auctoritate sua continentur grammatice interpretari, nonne vero potius Kantio duce debeat verbis illis notiones subjici, moralibus religionis naturalis decretis consentaneae? Nonne sit universa pars Christianismi historica (sensu latiori) allegorice interpretanda? Speciosius autem illud quam verius esse crimen, eo maxime defendere posse puto, quod (§. 4). neque practicae neque theoreticae rationi contradicant conditiones, quibus fieri possit revelatio eo quem supra attuli sensu divina, adeoque nec hoc repugnabit rationi, sensum enuntiatorum Messiae ipsiusque legatorum de revelatione divina ipsis oblata grammatice interpretari, ut interpretatione non opus sit morali.

13) cf. si placet S. R. D. Flattii l. c. pag. 115-152. S. R. D. Storrii *Bemerkungen über Kants philosoph. Religions-Lehre.* §. 20.

14) Etiamsi itaque nihil valeat apud VIRUM clar. quocum mihi res est, argumentum pro persuasione de revelatione mihi divina supra allatum practicum (ab Illo ipso jam iterum abjectum, qui illud paucis abhinc annis studiosissime commendaverat) theoreticis certe rationibus effici potest quaedam de possibilitate ipsius probabilitas neque inde video, cur testimoniis optimorum virorum, sumta litterarum sacrarum fide probatis, negari fides ideo debeat, quod contrarium aeque sit probabile. Tantum etiam profecto abest, ut extraordinariae revelationis divinae sumtio mentem humanam aut enervet aut affligat, ut novam potius et desideratissimam viam muniat ad rerum gravissimarum, sed experientiae non obviarum scientiam. Neque enim est, quod timeamus, ne in rerum experientiae obviarum indagatione et tractatione aut negotiorum humanorum gestione magna aliqua confusio ipsiusque rationis existat perturbatio, cum non ponatur fieri solere revelationes divinas, sed eas certis tantum hominibus, certis locis et temporibus contigisse. (cf. Storrii *Annot. ad philosophicam doctrinam.* p. 70.

ritate revelationis Christianae persuasio, ut, quicunque quaestionem de origine divina illius religionis, quae, (quod postea pluribus probare in animo mihi est,) sumta origine illa divina, religionis naturalis in gravissimis persaepe caussis conjectura magis recte augurantis, quam invictis ad probandum innixae argumentis, suspiciones historica fide affirmat, et hac ipsa affirmatione alacriora reddit honestatis studia, indignam existimet, quae curatius investigetur, aut qui in ea maxime re tam ardua immoderatae indulgeat dubitandi libidini, quam in quacunque re alia, magis minusve ad ipsum pertinente vesanam nuncupaverit aut nefandam, is suum ipsius veri honestique studium suspectum et incertum reddidisse summo jure dicatur.

§. VI.

Adumbratis pro persuasione de revelationis Christianae eo, quem supra constitui, sensu divinae veritate rationibus (quas satis magnam probandi vim habere confido illis, qui non praeconcepta aliqua opinione, aut dogmatica quadam utilitate, sed integerrimo tantum veri videndi studio ducti ad inveniendum verum monumentorum revelationis Christianae sensum accedant) restat, ut de possibili revelationis divinae argumento dicendum esse videatur; hoc enim ipsum est, à quo pendebit quaestionis, possitne interpretatio, quam philosophia critica proponit, probari, nec ne, decisio.

[15]) Revelatio divina quum subjecta sit necessariae rationis conditioni; sequitur, rationis etiam leges esse oportere, é quibus metiendum sit revelationis divinae argumentum. Licet autem jam rationi pro ea, quam sibi informat, notione DEI naturae intelligentissimae bonorumque omnium summi et auctoris et adjutoris postulare, ut quacunque revelatione, quae divinam suarum partium omnium prae se ferat originem, nihil plane

15) Confer. ad haec, quae sequuntur, S. R. Prof. Süskind: *Ueber das Recht der Vernunft in Ansehung der negativen Bestimmung des Innhalts einer Offenbahrung.* in S. R. D. Flattii *Magazin für christl. Dogmatik und Moral.* II. St. S. 89—189. ubi ea, quae summatim tantum mihi attingere licuit, rationibus confirmantur.

contineatur, quod repugnet legibus suis cum theoreticis tum practicis; nihil, quod non modo ad mores plane non referri, sed corrumpendis adeo moribus inservire possit: liberrimo igitur jure utitur ratio, si qua forte contentae invenirentur revelatione quadam, divinam prae se ferente originem tales sententiae, quales non modo non excogitare et assequi posset sibi relicta ratio, sed quales contradicerent etiam ipsius legibus, effictisque secundum hasce leges notionibus DEI tanquam naturae intelligentissimae, et voluntate sanctissimae, consilioque revelationis divinae palmario, quod in revocandis ad virtutem et virtute ad beatitatem hominibus positum cogitari debet, statim exterminandi eas revelationis argumenti finibus.

Nullam autem omnino humana ratio potestatem habet, ut concessum fumendi, nihil plane aut posse aut unquam potuisse revelari à DEO, nisi quod ipsa per se aut assequatur, aut assecutura ullo tempore fuisset, quod suis argumentis non probare, quanquam nec improbare et rejicere possit: multoque minus fas rationi est, si qua forte revera continerentur istiusmodi enuntiata revelatione divina, litterarum fide probata, exulare ea jubere tanquam spuria revelationis divinae argumenti finibus. Si enim visum fuerit Jehovae, sumta necessitate quadam empirica practica, annuntiare sese viso singulari tanquam legum moralium auctorem sanctissimum, potentissimum justissimumque, qui res omnes ipsius voluntate exortas providentia sua moderetur, virtutisque studium praemio felicitatis perfectæ quae cum virtute conjuncta finem bonorum constituat, donare et possit et velit; quaenam tandem justa adest asseverandi caussa, communicatarum cum legatis divinis cognitionum moralium et religiosarum summam iis tantummodo non posse non absolvi, quæ cum rationis sibi relictae principiis ita consentiunt, ut duci ab his solis possint, adeoque naturali cognoscendi facultati originem debeant; nihil contra certius, nihil circumscriptius iis aut posse aut debere contineri, de modo et institutis Jehovae, summum bonum efficiendi, si quidem modus ille aut instituta illa vel una esse viderentur vel efficacissima, homines sensibus obrutos penitusque depravatos emendandi et ad virtutem, et

virtute ad beatitatem reducendi. Aut quisnam tandem mortalium rationis suae limitum probe memor, reprehendere audeat, infinitam infinitae mentis sapientiam, quae in revelandis doctrinis illis certioribus majorem minoremve temporum quorumvis quibus revelationes divinae contingebant, lucem, hominumque illorum temporum opiniones et exspectationes morales religiosasque, et virorum, quibus tanquam ministris utebatur ad promulgandas illas caeteris hominibus doctrinas singularem de DEO rebusque divinis cogitandi sentiendi eloquendique formam sequebatur?

§. VII.

Ex praemisso quale quidem constituit modesta suorumque finium bene sibi conscia ratio, revelationum divinarum possibili argumento, justissima jam consecutione primum hoc effici arbitror, litterarum illarum quibus continentur revelationes divinae, interpretationem non debere hanc ad legem dirigi, ut nihil admittatur, nisi quod ratio per se ipsa intelligit ac probat; deinde vero etiam illud, sensum revelationis divinae grammaticum non posse non unum verum esse et ubique unice retinendum. Qui priorem itaque rationem sequuntur in interpretandis, ut statim exemplo utar, revelationis Christianae monumentis, ii profecto, quid Messias ipsiusque legati pronuntiasse et gessisse legantur, non interpretantur, sed quid quoque loco dicere et agere vel potuerint, vel debuerint, ex suo arbitrio suisque opinationibus ipsi decernunt, hac una lege adstricti, ut in comminiscendo sensu moralis potissimum usus rationem habeant, quamvis violenter sensus ille in textum illatus sit vel intrusus. Quis autem non statim videt, quam vehementer imminuatur omninoque tollatur hoc interpretandi modo debita divinae divinorum legatorum auctoritati reverentia, si ad tuendam doctrinae illorum veritatem agendique rationum divinitatem commentitia interpretatione opus esse contendatur; aut cui non obvium est atque manifestum, quam parum cum illa interpretandi ratione conciliari possit sanctum et religiosum veritatis studium, quo nihil debet esse philosopho prius nihil antiquius?

Aut quis merito me reprehendat, si litterarum sacrarum interpretem (aequo fere jure ac oratorem Fabius) neminem esse contenderim, nisi bonum virum; bonus autem certe vir meo quidem sensu nunquam à se impetrabit, ut ea, quae in litteris sacris, grammatice eruta, non sint, (si quidem esse possint) aut forte ipsi videantur non vera et ad juvandos honestos mores pertinentia, falsa verborum sententiarumque informatione vera moribusque bonis formandis apta esse publice defendat: Liceat enim pari modo, ut hoc obiter moneam, alius cujuscunque libri, quamvis illiberalibus et impiis sensibus praeceptisque plenissimi normam in tradenda publice religionis disciplina sequi, salva tamen et illaesa populi erga librum illum retenta reverentia, dummodo persuadere calleat interpres disciplinae suae alumnis, arbitraria istiusmodi interpretatione verum (qui tamen unus est grammaticus) inventum esse scripti sensum? Quid autem de iis videtur, qui quamvis praeclare destinata effecturi, veluti religionem moralem ubique inter homines introducturi, artibus utuntur talibus, qualis est commentitia scriptorum divinorum interpretatio: equidem, nisi integerrimo veritatis unius studio, nulla neque theoreticae, neque practicae rationis utilitate, utilitate, (*Interesse*) dico, non: necessitate, duci vere philosophum oportere censuerim. [16])

---

16) In afferendo *morali* hoc, quod appellaverim, contra interpretationem moralem argumento de industria subsisto: non quasi ignorem alia satis gravia ab aliis jam dudum allata contra illam argumentandi genera (vid. lib. supr. laudat. *Versuch einer historisch kritischen Darstellung u. s. w.* Tom. I. p. 128—143. Tom. II, pag, 12—36. coll. S. R. Henkii *Neues Magazin für Religions- Philosophie u. s. w.* Tom. I. St. 3,) sed ne obliteretur aliis hoc unum, quod me quidem ad improbandam Hermeneuticam Kantianam per se commoverit, quo commoveri autem scio certissime omnes qui nondum ad veri unius honestique castum sensum obcalluerunt. In constituenda nimirum illa methodo sacras litteras interpretandi tali ratione tractare videtur cel. Kantius, aut rectius forte si dicendum sit, popularem religionis doctorem jubet publice ita tractare scriptores divinos, qualem profecto non velle potest ad communem alios tractandi legem evectam!

§. VIII.

Revelatione autem divina cum nihil prorsus possit contineri, quod sive theoreticis adversetur sive practicis rationis humanae legibus; (§. VI.) cum nullo igitur modo fieri possit, ut tales etiam in illa propositiones, quales cum rationis principiis non ita consentiunt, ut duci ab his solis queant, nihil omnino ad mores pertineant, aut obniti adeo possint voluntatis humanae ad recte agendum momentis; sequitur, plane nullum locum esse interpretationi morali, sed sensum grammaticum unum esse debere verum, et rationi ubique consentaneum. Aut quonam tandem idoneo probari queat argumento, ad juvandam honestatem plane non referri, aut juvando honestatis studio obesse sententiam, quae subjecta est adcurate circumscriptis illis, ratione sibi relicta non assequendis, Christianae revelationi peculiaribus enuntiatis de consilio Jehovae, per Messiam confecto, quo visum illi fuit, depravatorum hominum genus ad fines bonorum humano generi praefixos, ad virtutem, intimeque cum virtute conjunctam beatitatem, tum in hac tum in futura vita perfruendam reducere, sive summum bonum in perditissimo hominum statu efficere? Quidni theoriae Christianae, non solum concessam gratuito Jehovae favore à poenis studiorum illiberalitate et morum pravitate contractis immunitatem homini ita spondentis, ut post penitus emendatam sentiendi agendique rationem *a*), stabili in posterum altioris, qua natus sit, legis conscientia erectus *b*), strenuo sanctitatis tenore vincere audeat pravas cupiditates *c*), DEOque uni probari studeat *d*), [17]) sed illum

---

a) Joh. III., 3. coll. b.
b) Philipp. III, 20.
c) Gal. V, 24. coll. II. 20. et Rom. VIII, 1. 13.
d) Matth. VI. 33.
17) Haec quidem est grammatice eruta una vera et rationi profecto consentanea, neque quod recentissime statui suis convenienter decretis videmus à cel. Fichtio (in *Appellation an das Publicum gegen die Anklage des Atheismus.* p. 73. sqq.) detorta demum et in gratiam hominum ad voluptatem omnia referre amantium ementita, horumque captui accommodata cum doctrinae Christianae totius sanctissimae praestantissimaeque (lib. cit. p. 73.) tum imprimis loco-

praeclara etiam conditione generatum esse graviter asseverantis, ut, si modo in subjiciendo animalium appetituum genere rationalium imperio, constantique officiorum conservatione ad ultimum usque vitae hujus actum perrexerit, in futuris vitae suae periodis ad gradum beatitatis evehatur, gradui honestatis parte progressibusque in illa factis diligentissime respondentem, quidni, inquam, sollemnia illa theoriae Christianae decreta ita comparata esse dicantur, ut non modo ea, quae religio, rationis unius ope solaque natura duce utens conjectura probabili magis informat, quam invictis intelligit probatque argumentis, confirmando, sed quaenam sint Jehovae virtutes, quanta ipsius ad nos beandos collata beneficia, quid nos è divinis consiliis jam simus, quidnam victuri gignamur, et quisnam nobis in infinito mentium regno assignatus ordo, finitius et plenius edocendo, permagnum multiplexque habeant momentum ad acuendos eximiae nostrae ad altiora quaedam et magnificentiora natorum conditionis sensus, ad excitandam alendam corroborandamque erga tantorum bonorum auctorem pietatem, prolatisque sic ultra relictae sibi rationis limites notitiis DEI animorumque immortalitatis, (quorum fide jam per se spectata nullum exhibet ipsa ratio efficacius ad honestatem momentum) ad augendam nostram voluntatis divinae, legi morali congruae reverentiam, ad minuenda vel tollenda facilius sive à naturali hominum ad vitia proclivitate, sive ab aliis objecta caussis legis illius moralis efficientiae impedimenta 18), et sic denique ad felicius consequen-

rum apostolicorum Galat. V, 16. 24. Rom. VIII, 13. 1. sententia. Ex his autem ipsis locis legitime effici non potest, (statuente VIRO acutissimo) nullam plane vel voluptatis vel commodi nostri rationem esse in recte agendo habendam. Voce nimirum σαρξ eos tantum sensus easque propensiones animi notari, quae sunt τω πνευματι legique morali contrariae, ex ipso illorum contextu (Gal. V, 16. 19. sqq. Rom. VIII. 7.) apparet. (vid R. S. D. Flattii *Observationes ad comparandam Kantianam disciplinam cum Christiana doctrina pertinentes.* Tub. 1792. p. 15.

18) cf. b. Rappii commentat. *Ueber die moralischen Triebfedern, besonders der christlichen Religion.* inserta in Dign. Maucharti Repertor. *für empirische Psichologie* 1792. I. B. p. 130. II. B. p. 132. sq.

dos humano generi destinatos fines. 19). Haec ipsa non solum eorum, quibus primum tradita fuit, ingeniis et necessitatibus apta 20), sed supremis universi generis humani finibus nobilissimisque naturarum, quales nos sumus, rationalium finitarum desideriis ita accommodata doctrinae Christianae ratio, ut variis nostro adhuc aevo hominibus, pro vario ingenii virium modo, vario sentiendi forma atque indigentia ad recte tranquilleque vivendum prodesse possit, et profuerit, ea est, quae singularem ipsi admirabilitatem conciliat, quaeque ipsa facit, ut longe majorem excellentiam atque praestantiam inesse fidenter affirmare liceat divini illius doctoris sapientiae, quam recentissimorum inprimis morum magistrorum, qui ad confirmatam recte huc adhibitis experientiae testimoniis naturae humanae sensu et ratione mixtae indolem, et quod divelli ab hac nequaquam potest, felicitatis studium, nullo respectu habito in adducendo celsissimi unius rationis regni adventu summa virium contentione elaborandum esse statuunt, in quo regno futurum sit, ut amota omni fide historica, quae sacrarum litterarum auctoritate ducitur, neque solum veritate notionis DEI propositorumque à DEO virtutis praemiorum objectiva, sed his notioni-

19) Silentio praeterire non possum memorabilem illum locum, eundem vero cum pluribus in philosophica de religione doctrina decretis, nominatimque cum iis, quibus tota fere innitur interpretatio moralis sumtionibus difficili, ut mihi videtur, negotio conciliandum, qui exstat in epistola ad cel. Jungium (Prof. Marburg.) à Kantio perscripta, ubi sic habent verba: *Sie thun daran sehr wohl, daß sie die lezte Befriedigung ihres nach einem sichern Grund der Lehre und der Hofnung strebenden Gemüths im Evangelium suchen, diesem unvergänglichen Leitfaden wahrer Weisheit, mit welchem nicht allein eine ihre Speculation vollendende Vernunft zusammentrift, sondern daher sie auch ein neues Licht in Ansehung dessen bekommt, was wenn sie gleich ihr ganzes Feld durchmessen hat, ihr noch immer dunkel bleibt, und wovon sie doch Belehrung bedarf.* (vid. *Philosoph. Journal* — herausgeg. von Fichte und Niethammer — 1798. St. 5.

20) vid Dign. Conzii *Abhandlung für die Geschichte und das Eigenthümliche der spätern stoischen Philosophie, nebst einem Versuche über Christl. Kantische und Stoische Moral.* Tub. 1794. p. 134. sq.

bus ipsis sepositis homines mera mentis cogitatione officii (*durch die reine Pflichtidee*) ad recte agendum impellantur [21].

§. IX.

Historia porro universim spectata cum habeatur ab omnibus pro optima vitae morumque magistra, virorumque inprimis magnorum, et ingenii et animi virtutibus insignium et praeclare sapienterque factis de communi salute meritorum exempla altius in animum descendant, quia cognitio eorum à sensibus ducitur, quam morum praecepta, quae à sola ratione proficiscuntur; quid est, quod huic legi subesse negetur pars Revelationis Christianae *mere historica*, sive commentarii de vita et rebus per Messiam gestis; cur tandem hi eadem vi destitui si quidem omnium caeterorum librorum instar, qui sunt è genere historico, historice et grammatice explicentur, et ad exserendam vim illam moralem allegorica demum interpretatione indigere perhibeantur? Quotiescunque enim notationes morum Messiae et illustrissima ipsius vereque divina facta (sumta litterarum sacrarum fide probata) cum cura et diligenter legimus, aliisve interpretamur, gravissime omnino, nisi ad omnem sensum turpemus, afficiantur animi divina majestate necesse est. Quo majora vero exinde et firmiora cepit admiratio nostra et reverentia erga Messiam incrementa, eo alacrius etiam doctrinis ipsius et promissis tanquam summi Jehovae legati ducisque ad veram virtutem felicitatemque tutissimi morem geremus et fidem habebimus, [22]) atque propositum ipsius exemplum, non hone-

21) cf. S. R. Niethammeri *Doctrinae de revelatione modo rationis praeceptis consentaneo stabiliendi periculum.* Jen. 1798. p. 61. — *Tübing. gel. Anzeig.* 1798. p. 238. sqq.

22) *Der unaussprechlich-herrliche Charakter des Messias* (sunt verba b. Jerusalemi, *Nachgel. Schriften, Th. I. S.* 123.) *in der Verbindung mit der allervollkommensten Religion würde schon allein hinreichend seyn, mich von der Göttlichkeit dieser Religion, und von der Grösse ihres Stifters zu überzeugen, und mich zu bewegen, nicht allein seine Lehre zu befolgen, sondern auch seine Verheissungen, und wenn darinn auch etwas Unerwartetes enthalten wäre, mit aller Zuversicht anzunehmen.*

Quod

honestatis tantum, sed beatitatis quoque formam, quae nostris animis insidet, exprimens, nobis ostendet, non fieri modo posse, ut virtutem nobis comparemus, sed etiam certissimos reddet animos, contraque omnem dubitationem muniet, quasi Virtus tormentis fortunae infracta et illibata non habeat hanc vim, ut beatos reddat sui cultores. [23]) Si verum denique est, quod esse confido, magnum habere momentum firmam de regimine divino morali omnium, quae in mundo geruntur persuasionem, moralem sane usum habere possunt narrationes nuntiorum Messiae de salutari doctrina, quae ab exiguis profecta initiis nonnisi summo bonorum omnium et auctore et adjutore provideute et moderante DEO eo statim creverit, ut inter complures majori minorive jam antea excultas disciplina gentes illustrandis sensim ingeniis moribusque ad veram honestatem conformandis mirabiliter prodesset. [24])

Quod quidem argumentum ex vita et moribus Messiae pro persuasione de legationis ipsius divinitate ductum non potest non utique progignere assensionis quandam firmitatem in animis omnium, quibus maxime viget honestatis sensus: eoque majori cura dignum est, quo magis intricata quanquam me quidem judice plane non infirmata philosophiae criticae objectionibus sunt ea, quae supra attuli, argumenta. Rectissime autem omnino, nominatimque ratione habita illius, de quo proxime mihi sermo erat, argumenti, praecipi mihi videtur, nequaquam fieri posse, ut, sola vel comprehensione vel recensu propositionum etiamsi in clarissima luce positarum et ratiociniorum quantumvis subtilium, vel historicarum quaestionum serie, firma existat, de legationis Messianae divinitate persuasio, sed absolvi hanc animi quodam habitu, á mera actione mentis ingeniique motu diversissimo, qui cunctarum, moralium inprimis, supponat virium evolutionem, animique facultatum harmonicam quandam efficientiam. cf. cel. Stapferi *Versuch eines Beweises der göttl. Sendung und Würde Christi aus seinem Charakter. Bern.* 1797. et S. R. Reinhardi *Versuch über den Plan, welchen der Stifter der christl. Religion zum Besten der Menschheit entwarf.*

23) Messiam, non obstante divina, quae singulariter ipsi inerat, excellentia atque praestantia, exemplo nobis esse posse contra Kantium in *Religion innerh. der Gränzen der blosen Vernunft* Ausg. II. p. 79. sq. defendit S. R. D. Flattius in *Magazin &c.* I. St. p. 170-200.

24) S. R. D. Niethammer in *Versuch einer Begründung des vernunft-*

§. X.

Si de toto, quod tractavi, argumento rationem jam liceat conficere, non modo repugnare mihi videtur interpretatio moralis sanctissimo veritatis potissimum officio, (§. VII.) sed indiligentius etiam exploratis principiis innixa existimo illa, quae sumuntur in illa interpretatione, sensum nempe grammaticum, cujus argumentum à principiis rationis sibi relictae, neque duci, neque vi mentis humanae spontanea intelligi queat, atque probari, admitti utique non posse, aut moralis saltim usui non esse (§. VIII. IX). Neque enim ea solum, quae in revelationis christianae ad exemplum adhuc propositae, monumentis ad doctrinam morum, jam ipsa ratione assequendam, proxime spectant, sed scita etiam quae

---

mäßigen Offenbahrungs-Glaubens. p. 173. sq. Wenn wir unsern Zuhörern die Urkunden der christl. Religions-Lehre vorlegen, sie auf das Wahre, Gute, Vortrefliche und Erhabene in dem Innhalt dieser Urkunden aufmerksam machen, sie den wirksamen Einfluß, den die darinn enthaltenen Lehren auf Tugend und Rechtschaffenheit haben; kennen lehren, dann ihren Blik auf die heilsamen Folgen lenken, die diese R. L. hervorgebracht hat, ihnen zeigen, wie diese Lehre auf die Zeitgenossen ihrer Entstehung und auf deren Nachkommen bis auf den heutigen Tag gewirkt hat, und noch in unübersehbaren Verwiklungen der Folgen fortwirkt, wie sie in der That ein Keim war, aus dem ein Reich der Wahrheit und Tugend sich entwikelte, und allmählig über den grösten Theil der Erde sich verbreitete: und wenn wir dann diese Betrachtungen unmittelbar an den Gedanken anschliessen, daß alles, was ist und geschieht, unter der Leitung einer höhern Hand stehe, deren sichtbare Spuren wir auch in der Entstehung und Ausbreitung jener Religions-Lehre, die soviel zur Ausbreitung des Guten gewirkt hat, nicht verkennen können: muß nicht diese Betrachtung ihnen jene R. L. im höchsten Grade ehrwürdig machen: und wenn sie würklick eine Vorsehung glauben, müssen sie nicht diese R. L. als eine göttliche Veranstaltung eben so verehren, als sie in den guten wie in den schrekenvollen Begebenheiten ihres Lebens die Weisheit einer gütigen Vorsehung anbeten. Consulto attuli hunc locum tum ob egregium plane ipsius argumentum, tum observationis obiter addendae caussa, quam recte commodeque singularia philosophorum critico-idealisticorum effata suum quoque in usum convertere liceat scholae ab illis vocatae dogmaticisticae, quae non solum ad ideam DEI Intelligentiae summae, mundi moralis providae et gubernatricis, sed ad DEUM objective existentem atque efficientem referri posse et debere statuit omnia, qua fiunt in mundo.

continet, ad credendum proposita et contemplationi objecta, ob necessarium illorum cum praeceptis agendi nexum una cum parte Christianismi historica morali usui esse censenda sunt, cum oblique saltim virtuti verae probitatique adjumento esse possint[25]. Indubie etiam nunc affirmaverim, quicunque sincero tantum veri honestique studio ductus, à justa et adcurata linguarum stylique quo usi sunt scriptores divini, peritia instructus, seduIaque inprimis etiam antiquiorum litterarum tractatione sensu antiquitatis imbutus, ea, ut breviter dicam, via, quam b. Ernesti instituit, ad interpretanda divina N. Foed. scripta accedat, eum ad recte aestimandam vim divinitatemque Revelationis christianae nativam, supra omnes commentitiae interpretationis artes elatam, ad nebulas, quas illius monumentis cana effudit vetustas, dispellendas, ad asserendam obscuris lucem, fastiditis gratiam, horridis nitorem, humilibus dignitatem facillimum sibi paravisse aditum! [26])

§. XI.

Ii vero, qui praecepto semel aut ad sua ipsorum philosophemata, aut ad philosophi, quem ducem unice sequuntur, effata accommodandi revelationis Christianae placita consilio sacrorum illius monumentorum interpretationem aggrediuntur, quam ingenti sint in periculo, ne gravissimas inferant exegesi injurias, liceat mihi appendicis loco novissimis ex aetate nostra comprobare exemplis. Sunt nimirum, qui idealisticam suam de DEO doctrinam nulla jam ampliori consecrare gestiant auctoritate, quam ut illam scriptorum divinorum testimoniis, nomi-

---

25) Omnino quidem lubentissime jam fateor ipse, et vix fortasse monendum fuisset, totam hanc meam interpretationis grammaticae unius retinendae defensionem eatenus tantum aliquid valere posse contra VIRUM cel. quocum mihi negotium fuit, quatenus superstructa sit notione revelationis, eo quem §. III. constitui sensu divinae: cujus notionis objectiva veritas, decretis criticis neutiquam contraria, cum idoneis sit confirmata testimoniis, eam nihilominus non retinere, nimii profecto, si in mitiorem partem interpretari liceat, historici scepticismi sit. §. VI.

26) S. R. Clessii (Abbat. Blabir.) Progr. Quam vim ad religionis reverentiam habeat antiquiorum litterarum scientia. Stuttg. 1792.

natimque disertissimis ipsius Messiae enuntiatis anticipatam arguant. Afferuntur huc plerumque testes loci 27) Joh. IV, 24. *Πνευμα ὁ Θεος, και τυς προσκυνυντας ἀυτον, ἐν πνευματι και ἀληθεια δει προσκυνειν.* et Exod. XX, 3. 4.

לא תעשה לך פסל וכל-תמונה אשר בשמים ממעל ואשר
בארץ מתחת ואשר במים מתחת לארץ לא-תשתחוה להם
ולא תעבדם : 28)

Jam vero ut omittam iis, quas satis justi rerum ingeniorumque æstimatores deque examinanda illa nova de DEO philosophandi forma magis minusve praeclare meriti viri in medium attulere, rationibus meam qualemcunque sententiam adjicere; mearum unice hoc loco partium esse duco, ut, quam arbitraria sint istiusmodi interpretamenta, demonstrare studeam, si quidem omnia, ut par est, ad summum jus veritatis grammaticae et historicae exigantur, neque solum verba recte declarata fuerint, sed universa etiam orationis structura et series necessaria luce circumfusa. His igitur legibus si adstringatur locorum illorum interpretatio, priori quidem nulla alia suberit sententia, quam haec: Spiritus est DEUS (i. e. vi et affectionibus spiritus eminet, adeoque est, ab omni materie concretione et dissolutione immunis invisibilis, ubique praesens), 29) cultoresque ipsius colere eum debent pietate vera atque intima non pendente à singularibus aut locis, aut ritibus, sed digna omnino virtutibus DEI tanquam spiritus. *Πνευμα* autem (רוח) de DEO in litteris sacris praedicatum nihil significat aliud, quam infinitam ipsius sive potentiam, sua ipsius vi viventis, vitamque aliis naturis impertientis, sive DEI ubique praesentis scientiam, sapientiam, sanctitatem, uno verbo perfectissimam ipsius naturam. 30) Ex hac

27) cel. Schaumanni *Erklärung über Fichte's Apellation.* p. 36. sq.

28) cel. Fichtii *Gerichtliche Verantwortung gegen die Anklage des Atheismus. p.* 51. — *Wer da sagt, du sollst dir keinen Begriff von Gott machen, sagt mit andern Worten: Du sollst dir keinen Gözen machen, und sein Gebot bedeutet geistig dasselbe, was das uralte Mosaische sinnlich: Du sollst dir kein Bildniß machen, noch irgend ein Gleichniß: bete sie nicht an, und diene ihnen nicht.*

29) Ven. Schleusnneri *Lexicon in N. T.* s. *v. πνευμα* Nr. 7,

30) Peculiari programmate hoc illustravit b. Morus sic inscripto:

autem DEO adjuncta Spiritus infiniti notione non sequitur, tollendum esse verum extra ideam DEUM, illosque, qui talem credunt et venerantur, falsi numinis cultores contumeliae caussa esse dicendos. 31) Ut enim ea, argumentor *), quae sensibus exposita non sunt, cogitare possim, cogitanda mihi sunt categoriis: DEUM vero Spiritum cogitemne accidentiae, utrum substantiae potius categoria: prius quidem perhibent rationis leges: cogitandus mihi itaque est DEUS tanquam substantia, eodem jure, quo cl. Fichte philosophique ab eo profecti egoitatem suam sensu non percipiendam cogitant caussalitatis certe categoria, quae categoriarum numero non minus subest quam substantia. Difficillimum mihi etiam intellectu videtur, quonam jure satis fidenter asserant, qui nullum extra se DEVM verum esse statuunt, ab iis, qui contrarium affirmant, ideam DEI ratione informatam, deprimi ad notionem intelligentiae, sensuum suggestibus obnoxiae, sive DEUM effici rem sensu percipiendam. Quodsi enim theismus purus hanc haberet sententiam, rem aliquam ideae Divinitatis ratione informatae respondentem inveniri posse in mundo sensibili, DEUM esse et tempore et spatio inclusum, adspectabilemque esse objecti instar cujusque sensibilis; tunc profecto idea rationis deprimeretur ad notionem intelligentiae illius, Divinitasque efficeretur res sensibus exposita, mundique sensibilis partem constituens. Ipsane vero philosophia critica ea solum *esse* posse contendit, quae non sunt sejuncta à sensibus: nonne potius cogitari certe posse concedit naturae sensu non percipiendae ideis ratione informatis respondentis caussaeque intelligibilis existentiam.

De DEO spiritu ad popularem intelligentiam accommodate describendo. Insertum jam exstat b. Viri *Diss. theol. et philol.* Vol. I. Ed. II. p. 328-349.

*) Praeeunte censore Libri Heusingeriani: *Ueber das idealistisch-atheistische System des Hr. Prof. Fichte in Jena. Tüb. gel. Anz. p.* 414.

31) Eodem fere modo judicandum esse arbitror de sententia cel. Fichtii in *Gerichtl. Verantwortung gegen die Anklage des Atheismus* p. 51. ubi plenum biblicae cum sua de DEO doctrinae consensum probaturus, testem adhibuit locum: 1 Tim. VI, 16. in quo DEUS dicitur: *φως οἰκειν ἀπροσιτον*; quod ex indubio loquendi usu nihil valet aliud quam vel hoc: oculis DEUM cerni non posse, vel: infinitis splendere virtutibus. cf. ven. Schleusneri Lexicon v. *ἀπροσιτος*.

Locus alter autem Exod. XX, 3. 4. ad commendandam idealisticam de DEO doctrinam adhiberi solitus, ad alia omnia magis, quam ad hunc finem videtur mihi quidem comparatus. Quis enim non statim videt, sermonem ibi esse de simulacris et imaginibus sculptilibus, quibus ne Aegyptiorum more finitimarumque gentium divinos indicat honores, populus monetur Israëliticus: Talem vero DEI cogitationem informare, cuinam eorum, qui idololatriae rei aguntur à critico-idealisticae scholae sectatoribus) unquam in mentem venit?

Concedi debet omnino, sacras litteras multis modis consentire in circumscribenda Divinitatis notione cum decretis Idealismi recentioris, Deum ordine mundi morali definientis; sed dissentiunt profecto invicem in eo, quod illae DEUM esse ubique supponunt, nullibi disertis verbis probant; Idealismus vero ex singularibus DEI adjunctis, veritati autem notionis DEI objectivae neutiquam contrariis, veluti ex spiritualitate ipsius, cogere tentat, non esse DEUM extra ideam verum, sed sola cogitatione informatum. 32) Mihi autem persuasissimum etiam hoc est, si vel solo sapientissimorum hominum, neque jam singulari amplius sensu divinorum virorum nomine judicentur Messias ipsiusque legati, ad illustrandam et confirmandam veritatem religionis primariam, DEUM esse et quidem DEUM extra ideam verum, quam plurimum conferre et doctrinae ipsorum et historiae monumenta. 33)

---

32) Tubing. *gel. Anz.* 1799. p. 501.

33) vid S.R.D. Flattii *Bemerkungen über den aus der Lehre und Geschichte Jesu hergenommenen Ueberzeugungs-Grund vom Daseyn Gottes. (in Beyträgen zur christl. Dogm. und Moral* 1792.) coll. *Allgem. Litteratur-Zeitung* 1793. Nro. 321. p. 346.

PRAESTANTISSIMO ATQUE DOCTISSIMO

DISSERTATIONIS HUJUS AUCTORI

PRAESES.

Cum spatii angustia non permittat, ut et ego meam, de omni, quod tractasti, argumento sententiam, aut tantum, de quibus aliter sentiam, hic exponam, nihil mihi relinquitur, quam ut, certus, lectores eruditos, etiam TE*cum non consentientes, haud parum tamen, quae ex scripto* TUO *elucent, ingenii dotes, doctrinam, veri cognoscendi studium atque animi modestiam esse probaturos,* TIBI TUI*sque de laudabili hoc specimine gratuler, omnes, qui ex veri cognitione exspectari possunt, fructus tibi apprecer, et amicitiae* TUAE*, quae mihi semper erat eritque pergrata, enixe me commendem.*

Corrigenda.

p. 1. not. 1. lin. 1. leg. des progrès
p. 7. lin. 11. extrem. leg., post *moralem.*
p. 14. lin. 7. leg. vario
p. 16. lin. 18. leg. defendere *me* posse puto.
p. 17. ad not. 15. adde: S. R. D. Storrii *Bemerkungen über Kants philos. Religions-Lehre p.* 165—223.
p. 20. not. 16. lin. 2. 3. legatur, non quasi ignorem alias satis graves, ab aliis jam dudum allatas contra illam ratione *morali* argumentandi formas.
p. 22. lin 9. leg. et ubique unice retinendum, loco: et rationi ubique consentaneum.
p. 24. lin. 18. leg. torpemus.